MILTONIS EPISTOLA AD POLLIONEM.

Edidit & Notis illuſtravit

F. S. CANTABRIGIENSIS.

ΠΑΤΡΙΔΑ μὲν τὴν ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ νομίσαντες.

Iſocrat. Archidam.

EDITIO ALTERA.

LONDINI,

Apud T. COOPER, in *Pater-noſter-row.* MDCCXXXVIII.

(*Pretium* 1 *s.*)

ALEXANDRO POPE,

F. S. CANTABRIGIENSIS.

BENE compertum eſt mihi, ſcriptam fuiſſe hanc epiſtolam à MILTONE noſtro; quo anno incertum. MILTONIANAM eſſe teſtatur liber ſpiritus, & indignatio, quâ tota calet, liberrima. Veri autem & ingenui animi indignationem excuſet priorum temporum ſervitus, laudet noſtrorum clementia. De ſtylo & verſificatione nihil dico. Quid ſtatuendum ſit, ipſe judices: Et acritèr iſti ſanè judicabunt, velim, nolim, qui favent expolitis FANNÎ næniis, neque unquam in ædem Libertatis intravêre. At parum adjuvant hoc carmen explicantque, quas adjeci, notæ: Scio. Eſt nimirum difficile ex rebus fabuloſis elicere veritatem, & iconicos, quaſi in tabulâ, exhibere MILTONIANI ævi duces & præfectos. Qui tanto operi ſe accingit, ignota tanquam nota, antiqua tanquam recentia prolaturus palam, illi ædepol neceſſe eſt alio pingere penicillo, aliiſque coloribus, ac meis. Ego ſatis audactèr feci, qui epiſtolam hanc in publicum dedi. Ancipitia loca & vocabula, ficta & inuſitata nomina, ad quæ explicatio mea haud multùm profecerit, enodanda permitto circumforaneis iſtis & ſtipendiariis oratoribus, qui ſomnia interpretari ſolent,

qui

qui mentes noſtras in magiſtri verbis & crumenis ſuis ſcitè ſcrutantur: Qui tamen, ſi quid peccant, impunè peccant. Plurima fateor me ignorâſſe, plurima leniùs illuſtrâſſe, plurima denique ſilentio præteriiſſe mihi cavendo. Nam profectò formidoloſior ſum; & cavendum eſt vel à mortuis regibus, etiamſi centum abhinc annos mortui fuerint, ſed duntaxat centum: Quippe quorum cineres, ſi quos incautiùs ſuſcitem, noceant lippitudini meæ. At ſcribentis periculo ſcripti gratia augetur, & decorum eſt vel capitis periculum ſubire pro patriâ, pro civibus. Num ergo in eâ civitate, ubi luxuries, adulteria, rapinæ & fœdiſſimæ ſycophantiæ magna habent præmia, magniſque exemplis nituntur? ubi virtutes & artes ingenuæ ne quidem patrocinium inveniunt? ubi à principibus viris (qui principes!) ridetur, quiſquis de Republicâ ſtudet vel optat benè mereri? Veruntamen in hâc eâ civitate, in hâc eâ republicâ ſumma tibi, ſumma carminibus & præceptis tuis conſtat reverentia; teque omnes, cives, proceres, boni, mali, docti, indoctique laudant, metuunt, mirantur, venerantur. Quî fit, ut te unum omnes? Te nempè putant (& rectè & verum putant) aliquod habere numen: Habes; & uſquè habeas!

MILTONIS
EPISTOLA
AD
POLLIONEM.

SI vis ingenii, mihi ſi conceſſa poteſtas
Carminis, aut tibi qualis ineſt facundia, dignas,
CADENO quas antè meo, tibi dicere laudes
Inciperem, & Phœbum ſpirans, & plenus amico,
POLLIO, magna tuæ facerem præconia vitæ.

O ſi tàm Superis cordi populique patrumque,
Quàm tibi, jura forent! O ſi mea vota valerent,
FABRICIOQUE Aſtræa ſuo transferret habenas!

℣ 3. CADENO] Fuit CADENUS S. P. D. D. MILTONI amiciſſimus, uti ipſe poeta teſtatur, qui alibi CADENO ſuo ſuos reddidit honores. Necdum animi & ingenii vigor MILTONI noſtro defuit.

℣ 5. POLLIO] Nobilis is fuit illius ævi juvenis, omni liberali doctrinâ & humanitate politiſſimus, ardens ſtudio patriæ ac libertatis publicæ tuendæ, conſervandæ, augendæ; MILTONI amicus ſummus & familiaris.

℣ 8. FABRICIO] Quem neque rex Pyrrhus, neque Samnites, quos debellaverat, auro corrumpere potuerunt. Pauper erat tamen, ſed paupertate nobiliſſimus.

Parvoque potentem
Fabricium. Virgil.

Quem virum, aut heroa hoc præclaro nomine poeta celebrari voluerit, haud jam inveſtigatum eſt. At diligenter de illo inveſtigandum, & poſteà pleniùs eſt dicendum.

1

Tunc Pudor, atque Fides, atque A** regna redirent;
Nec ſibi fas ultrà ſævis ſperare novercis,
Nec tremerent ullos venientia ſecla tyrannos.
At quid tu poſſis? Quid pars ſincera ſenatûs?
Quid ſocii proceres? Quid virtus dura CATONIS?
Quid BRUTI? Si vel totum Cicerona ſonares,
Quid tibi, quid patriæ divina Philippica proſit?
Infanda en, iterum PALLAS ſua dona paravit,
Solicitans pretio cives, & *nobile* vulgus,
Pollicitus quod quiſque petat! Captantur avari,
Et quos præcipites luxus rapit. Eſſe tribunum
Huic datur imbelli: Hic totum ſe proluit auro:
Hic creſcit titulis: Hic nutat pondere mitræ.
PALLANTI quid non licitum eſt? Venalia cuncta,
Pax, bellum, leges, Divi, monimenta parentum,
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.
Siccine Libertas armis & ſanguine parta,
Ac ſervata diu, ſedes faſtidit avitas,
Notis victa dolis? &, tali auctore, recedit

ỳ 9 A** REGNA] Imperfectus hic verſus quomodo compleri debeat, non ſatis ſcio. Legunt nonnulli ex amicis noſtris, quibus hujus carminis copiam feci, *Aurea regna*. Haud mihi valdè placet tò *Aurea*.

ỳ 16. PALLAS] Libertus fuit Claudii Cæſaris, qui ſummo Imperatoris favore imbutus, ſummum faſtigium tenuit, plebem, patres, conſules, Auguſtam, Auguſtum, Auguſtos Lares pro arbitrio ſuo gubernans. Ditiſſimus erat Romanorum, vel Craſſo ditior vicies & quinquies centenis millibus. Exinde natum proverbium,

Ego poſſideo plus
Pallante. Juvenal. *Sat.* 1.

De hujuſce viri inſolentiâ, ſenatûs humilitate, Cæſaris patientiâ, *vide* Plin. *Ep.* 6. *Lib.* 8. & Tacit. *Annal.* 12.

Sunt qui GEORGIUM VILLIERS *Buckingamiæ ducem*, qui præfectus erat regni regnante Jacobo I. & Carolo I. hoc nomine deſignari volunt. Verùm neſcio, an aſtutè conjecturam faciunt de GEORGIO iſto, quum nobis parum certum ſit de anno, quo ſcripta eſſet hæc epiſtola.

ỳ 24. ET NATI, &c.] Verſus Virgilianus, *Æneid.* lib. 3. ỳ 98.

ỳ 25. LIBERTAS] Erat Romanis Dea, cui Atrium extructum fuit & dedicatum ab *Aſinio Pollione*. Ad hoc Atrium conveniebant viri docti, philoſophi, poetæ, oratores, &c.

Nec me, quæ doctis patuêrunt prima libellis,
Atria Libertas *tangere paſſa ſua eſt.*
Ovid.

Græci etiam *Libertatem* & *Libertatis* Deos coluêre.

Auro

Auro jam peritura ſuo? Mirabile dictu!
Et bello invictos, & multa & magna minantes,
Sed mala vicinæ gentis contagia paſſos,
Nunc primùm aſpicias dociles ſervire * ANNOS.
CÆSARIS EST: REDDAS. Sententia dia. Sed oro,
Quæ mea, quæ tua ſunt, dic, ſi vis Cæſaris eſſe:
Dic, quo jure ferox ſibi vendicat omnia Cæſar.
Anne uni tot mille hominum parere neceſſe eſt,
Ni proles fuerit Divûm, cui gratia, fama,
Formaque cui præſtans, cui pollens robore corpus,
Indita vis animi, mens æqua, & conſcia recti?
TROJUGENÆ, ſi vos ingentia nomina captant,
Imperiumque pati tandem libet, ab Jove parvum
Poſcite Semideum; aut ſaltem perquirite regem,
Ut mos eſt apibus. Néve hoc joculare putetis
Exemplar; (quanquam vobis jocularia fecit
Maxima Libertas) en, qualis cœlicolûm, rex
Eſt apium, pariterque ſuos ſupereminet omnes,
Inſignis ſquamis, alis inſignis, & ore.
Non illum faſtus tangit, nec regius ardor
Solvitur in Venerem, nec cogit pectus honeſtum
Turpis avarities: Non magnis aula rapinis
Creſcit, nec tentant Pharſalica bella Quirites.
Stat ſua cuique domus, conſtructaque mella; ſtat ingens
Rex, pater, & cuſtos operis, morumque magiſter.

℣ 31. *ANNOS.] Sic in MS.

℣ 39. TROJUGENÆ] Romani optimates ita à poetis ſunt appellati, quia ſe jactabant à Trojanis oriundos. Ac neſcio quid Gallici & Britannici ſcriptores de Trojanâ nobilitate fabulantur. Sin autem vera eſt fabula, & nos certam originem à Trojanis ducimus, ædepol equidem pius ille Æneas, nunc, cùm divûm epulis accumbit, obliquo lumine ſuos ſpectat nepotes.

℣ 42. UT MOS EST APIBUS] Apium reges, vel (ſi mavis) reginæ, nec non regiæ domus principes omnes magnitudine, formâ, & ſpecie corporis cæteras præſtant. Longè etiam plebi excellunt ingenio & ſcientiâ.

Rex

Rex erit ille mihi, quo nomine cunque vocatur,
Rex erit, arte ſuâ qui publica commoda juvit,
Sobrius, & ſapiens, civis bonus, utilis agris,
Felicis cultor pacis, fortiſſimus idem,
Libertas moriens ſi quando accendit ad arma.

Inventumne tuum eſt humanis uſibus aptum?
Charior es Superis, quàm qui nunc victor ad Iſtrum
Fulminat inſignis bello, quem Turcica clades
Ornavit ſpoliis. Vel te, vel judice VARO,
Pocula qui primus tornavit fagina, ſeu qui
Baſcaudam fecit, (quid non fecêre Britanni?)
Perſarum præſtat reges, magnoſque Philippos,
Cæſareamque domum. Haud unquam victoribus ipſis
Profuit, haud unquam placuit victoria Divis.
Ilium in Italiam portantia, & arma virumque,
Conſiliis vix ipſa ſuis, volventibus annis,
Fata viam faciunt; adeò terrâque marique
Turbatur, fatiſque obſtant contraria fata.
At tandem Æneas regnum dotale recepit,
Non tàm quòd præſtans bello, quòd torſerat haſtam,
Quòd præſtans formâ, Veneriſque à ſanguine clarus,
Quàm quòd juſtus erat, quòd & idem rexque paterque,
Quòd cunctis pietate prior. SINENSIA regna

ŷ 53. REX ERIT] Hoc loquendi genus erat veteribus in proverbio:

At pueri ludentes, Rex eris, *aiunt*,
Si rectè facies. Horat.

Qui rectè faciet, *non qui dominatur*, erit Rex. Auſon.

ŷ 61. VARO] Perelegantis ingenii viro, experto exercitoque armis, & acerrimo libertatis vindice.

ŷ 63. BASCAUDAM A Britannis inventam & ad Romanos tranſlatam, A Basket.

Barbara de pictis veni Baſcauda *Britannis*,
Sed me jam mavult dicere Roma ſuam.
Martial.

ŷ 75. SINENSIA REGNA] SINA, quæ vulgo appellatur CHINA, culta admodum & fertilis regio eſt, ultima terrarum Aſiæ: Imperium vaſtæ magnitudinis, nempè in quindecim provincias, ſeu potius regna ampla diviſum. Om-

Miremur

Miremur, quæ immota manent, ſemperque manebunt:
Cùm olim quæ fuerat caput orbis, nunc Lare parvo
Nititur, & quicquid Veneri promiſerat ipſe
Jupiter, anguſto contenta eſt limite Roma,
Ac putat eſſe aliquid magnas jactare ruinas.
Qui favor, aut quæ vox Superûm SINENSE beatum
Efficit imperium, nullo mutabilis ævo?
Audi hæc, & ſanctum CONFUCÎ numen adora:
Summa SALUS POPULI *lex eſto, & ſumma piorum*
Relligio, ſumma hæc eadem quoque gloria regum.
Sive foro, ſeu quid caſtâ verſatur in aulâ,
Hæc lex conſiliis ſeſe ingerit omnibus; hæc lex
Præfectos procereſque facit, movet arma Deoſque:
Omnis & in populo regis ſtat cura parentis.
Sed tamen & regi ſua ſunt inſignia, equique,
Servique & ſatrapæ, gemmæ, longa atria, pluresque
Uxores, nequid deſit regale, quod uſquam eſt.
Verùm hæc nec populi duro ſunt parta labore,
Nec ſcelerata dedit facilem victoria prædam.
Non aliena cupit; nec belli quærit HOANGTI
Cauſas, nec numerat lauros; nec opima tropæa

nes artes ingenuæ, ſcientiæque, & leges populo ſecundiſſimæ apud SINENSES vigent, nec alii quam literati, & CONFUCII philoſophiâ imbuti ſummas imperii dignitates obtinent. Imperii epocha incipit ab anno MMDCCCXLVII. ante Chriſtum natum, uti teſtantur SINARUM Annales. Conſule hiſtoriam P. DU HALDE, nuperrimè editam: SINAS enim fuſiùs deſcripſit.

℣ 78. VENERI PROMISERAT, &c.] *His egò nec metas rerum nec tempora pono: Imperium ſine fine dedi.* Æneid. 1.

℣ 83. CONFUCÎ] CONFUCIUS fuit Socrates *Sinenſis*, philoſophus maximus & legiſlator. Doctrinam morum potiſſimùm excoluit, ipſe doctrinâ omni & virtute ornatiſſimus. De vitâ CONFUCII & ejus philoſophiâ vide *Proſperum Intercettam*, & *Du Halde*.

℣ 84. SALUS POPULI REX ESTO, &c.] Ex unâ hâc *Sinenſi* lege pendent cæteræ omnes, nec non & Imperatoris & *Mandarinorum* edicta omnia, decreta, conſilia, ſententiæ, cogitationes & auctoritas.

℣ 89. OMNIS ET IN POPULO, &c.] *Sinarum* Rex eſt tanquam paterfamilias, ſic populum curans & fovens, ut ſi omnes ex ſeipſo nati eſſent; ſic in omnium oculis vivens & imperans, ut ſi patriæ, non ſibi ipſe natus eſſet.

℣ 95. HOANGTI] i. e. Filius cœli; titulus ſive cognomen regis *Sinarum*.

Nec vaſtæ cædes SINENSIS nomen honeſtant.
Illi omnes odio, qui magnâ clade ſuperbi,
Aut rapto reges vivunt. Si fortè PHILIPPUS
Dona ferens poſcat SINENSI fœdere jungi,
Rex regi; (alter terræ, at cœli eſt filius alter)
Legatis pater hæc SINÆ reſpondeat æquus:
Qui procul à nobis, ſemper procul eſte, latrones
Crudeles, avidi, meditantes bella, rapinas,
Atque virûm ſtrages, queis pacem & munera fertis!
Curſatur terras omnes, maria omnia circum;
Nempè unus regem veſtrum non continet orbis,
Nec locus eſt ſceleri ſummo. Quid *America* vobis?
Quid gemini feciſſe juvat certamina mundi?
An tanti ſunt fulva metalla? Latere volentes
Effodiuntur opes: Operi Deus inſtat Iberus
Infando; utque unum valeat ditare tyrannum,
En, terras populat latè, inſonteſque Penates;
Atque nefas ſuadet, quantum haud molitur Erinnys!

Dignus & ille cruce eſt, & vulture, quiſquis avaro
Tradidit imperium; quiſquis, quo jure Quirites
Plectantur, docuit. Si quando *Claudii* acervos
FUFIDIUS laudat, ſi amplos paraſitus honores

℣ 99. PHILIPPUS] III. aut quiſquis PHILIPPORUM ille fuit, qui illis temporibus rex Hiſpanorum fuit.

℣ 110. AN TANTI SUNT FULVA METALLA?] *Sinenſes* non cudunt aurum. Verùm omnis omnino moneta *Sinenſis*, & pecunia ſignata ex argento & ære conſtat.

℣ 111. DEUS — IBERUS] Caycus Americanus Dynaſtes ſuos monuit, ſi evitare crudelitatem Hiſpanorum vellent, Deum eorum colerent, & capſulam auro refertam oſtendens, *Iſte eſt*, inquit, *Hiſpanorum* Deus. Idem negavit, *ſe cælum velle, nè ſibi communis cum Hiſpanis habitatio eſſet.*

℣ 113. EN TERRAS, &c.] America per ſummam crudelitatem & avaritiam Hiſpanorum incolis MM exhauſta eſt.

℣ 115. VULTURE] Reſpicit Tityi pœnam apud inferos, qui hâc lege damnatus eſt, ut *Vultur* ejus jecur exedat.

℣ 117. CLAUDII] Imperatoris, regis, vel tyranni cujus cujus, qui rapinis in immenſum crevit.

℣ 118. FUFIDIUS] Fœnerator famoſus apud Horatium L. 1. S. 2. De FUFIDIO *Miltoniano* nihil certò comperi, niſi quòd Chriſtianiſſimum PETRI! nomen aſſumpſerit, & veterator fuerit nequiſſimus.

GRÆCULUS enumerat PALLANTIS, claraque facta;
Ille tuus, moneas, fabellam narret anilem
SPENSER, & exemplo eſt; ſive hanc inimica tyrannis
Compotrix lepida, atque ad rem cata dicere, ſive hanc
Nutricem mentita ſuo dictavit alumno
Calliope. Obſtupuêre feræ, dum carmine vates
Mordaci ludit ſub ſimii imagine regem.
Simius & verus fuit. At diadema leonis
Armaque, ſceptrumque, & barbam, pellemque decoram
Furatus, regem didicit ſimulare leonem.
Tum autem præfectum regni ſub vulpe latentem,
Et varias memorat fraudes, & mille rapinas.
Tum canit, & credas: Nunc ſunt, ſemperque fuêre,
Semper erunt (neque enim magis eſt lupus ipſe timendus)
Simius & vulpes KAKA ΘHPIA, ſive leonum,
Sive hominum ſpeciem ſumunt, & nomina regum:
Haud unquam commiſſa alter luiturus, & alter,
Ni Deus interſit vindex, reducemque leonem
Gratatus, miſeræ reddat ſua gaudia genti.

℣ 119. GRÆCULUS] Antiſtes fuiſſe dicitur famoſus, qui fœdis adulationibus ditiſſimum obtinuerat ſacerdotium.

℣ 120. FABELLAM—ANILEM] **Mother Hubberd's Tale.** Elegans equidem & benè morata eſt fabula, quam in uſum ſui ſeculi regum & regulorum, proregum, principum, & præfectorum ſcripſit EDMONDUS SPENSER, poeta inter Anglos celeberrimus regnante ELIZABETHA. Perlegas, mi lector, hanc fabellam: Neque enim ignobile eſt carmen, neque hiſce temporibus indignum.

℣ 122. COMPOTRIX LEPIDA] Fingit SPENSER nutriculam ſeu compotricem anum, ægrotanti amico aſſidentem, hanc fabellam ad ejus voluptatem garrire.

℣ 136. REDUCEMQUE LEONEM] Inſignia regia leonis, dum altum dormit, furatus eſt ſimius & clàm eripuit, quibus ornatus leonem ſimulavit, regnum occupavit, & vulpi permiſit. At tandem Deus aliquis leonem expergefacit, increpat, reducit, & inducit in regnum ſuum. Sic in fabulâ. Rectè an perperam interpreter, exiſtimes velim, mi lector. REDUCEM LEONEM hieroglyphicum eſſe LIBERTATIS ſignum, quippe nihil timet, neque ſuſpicax eſt, neque limis ſpectat, neque ad dormiendum in loca remota & ſecreta ſecedit; quippe denique gratus eſt, & memor accepti beneficii. Idcirco celeberrimæ Reipublicæ inſignia ſunt, *Leo erectus pileum Libertatis geſtans.* Quis jam locus, quæ regio non eſt plena laborum Belgici leonis, qui ſeptem provincias in libertatem vindicavit, auxit, ditavit? Porrò autem reſpice S. Marci leonem, Venetorum decus & præſidium.

Heu

Heu, quem non agitat, ſeu rex, ſeu Cæſar habetur,
Falſus honos, ſtrepituſque armorum, & dira cupido
Regnandi latè! Si terræ vinceret orbem,
Lunam affectaret; poſſet deducere lunam,
Stultitiâ peteret cœlos, ſive Oſſan Olympo
Imponat, falſo tonitru ſeu terreat urbem
Salmoneus, magnique Jovis ſibi vindicet aras.
Sis licet Auguſtus, ſis ingens induperator,
Dacia jamque tibi, ac dederit Germania nomen;
Te tamen altiſonum DOMINUMque DEUMque vocari,
Domitiane, jubes. Tantone colendus honore es?
Quidni, qui tantas potuiſti occidere muſcas?
At benè qui trutinâ penſant, & perſpiciunt Dî,
Quid valeant homines, haud nunc in ſidera poſcunt
Terrarum dominos: Nec poſthâc, Mœri, videbis
Hîc ſub nocte canens procedere Cæſaris aſtrum,
Hîc ſub nocte canens fulgere Cupidinis ignes.
Nam neque jam Veneri facta eſt coma regia ſidus,
Nec cœlis, ARIADNA, tuam fixêre coronam,

ŷ 146. DACIA, &c.] *Dacici* nomen, & *Germanici* Domitianus aſſumpſit à devictis Dacis & Germanis.

ŷ 147. DOMINUMQUE DEUMQUE] Cùm procuratorum ſuorum nomine formalem dictaret epiſtolam Domitianus, ſic cœpit, DOMINUS & DEUS *noſter ſic fieri jubet*; unde inſtitutum poſthâc, ut ne ſcripto quidem ac ſermone appellaretur aliter. *Sueton.*

ŷ 149. OCCIDERE MUSCAS] Quotidiè ſecretum ſibi horarium ſumere ſolebat (Domitianus) nec quidquam amplius quàm muſcas captare ac ſtylo præacuto configere: Ut cuidam interroganti, *Eſſetne quis intus cum Cæſare*, non abſurdè reſponſum ſit à Vibio Criſpo, *Ne muſca quidem. Sueton.*

ŷ 152. NEC POSTHAC MOERI] Vide *Virgil. Ecl.* 9.

ŷ 154. CUPIDINIS IGNES] Berenicem ſcilicet quale, aut Ariadneum ſydus.

ŷ 155. COMA REGIA] Nempè Berenices Ptolomæi Euergetæ uxoris. Comam Veneri vovit & dedicavit Berenice, quam Conon mathematicus inter ſydera retulit, hoc figmento captans regis Ptolemæi gratiam. Vide *Catulli Elegiam de Comâ Berenices.*

ŷ 156. ARIADNA] Bacchi uxor, cujus coronam ſtellis ornatam Bacchus in cœlos collocavit. Corona Gnoſia vocatur.

Gnoſiaque ardentis decedat ſtella corona.
Virgil.

Specioſo hoc nomine poeta notari voluit principem quandam fœminam iſtius ætatis. Ego hæc omnia intelligo (forſan malè) de Annâ reginâ, Jacobi I. uxore, quæ obiit anno MDCXIX.

Quos

Quos tibi ſupremos conjux mandavit, honores;
Nec quicquid mendax Æsopi pagina finxit,
Nec quicquid tumulo vox Puppî blanda dicavit.
Ille eheu, fruſtrà gemebundus obambulat aulam!
Fruſtrà limat opus par nobile grammaticorum,
Si luctus, ſi grande ſophôs riſere Camœnæ!
At riſiſſe nefas. Quid ſi lugubria ſumant?
Pectora plangentes ſi plorent fata ſororis,
Et juga Parnaſſi jubeant, & flere myricas,
Doctaque jam tandem lachrymas in carmina vertant!
Hoc etiam in vitium flectat. Nam quærere rebus
Materiam nequeunt aptam, nec condere carmen
Innocuum Aonides, ex quo objurgare Britannos,
Et miſcere parant Tameſini fluminis undas
Gurgite Caſtalio. Jocularia, triſtia dicant,
Ranarum reges, Dodonæoſque tetrarchas,
Delirumque ſenem, juvenemque, canemque loquacem;
Sive alias ſibi fabellas, aut ſomnia fingant;
Credideris Pallanti, uno de Cæſare cuncta,
Nomine mutato, Muſas finxiſſe putares.

ŷ 158. Æsopi] Fuit iſte Æsopus & comœdus & poeta comicus. Scripſit comœdiam, cui titulum fecit SO. Ut intelligas autem, quid ſonet nomen hoc monoſyllabum, ex Græco putes fieri verbo Σόω ſive Σόομαι, i. e. *In fugam me conjicio, abire cogor.* Acta eſt hæc fabula ludis funebribus Ariadnæ.

ŷ 159. Puppî] Hoc nomen indidit poeta noſter poetæ cuidam tragico ex Patriciâ gente, qui ſcripſit funebres laudationes Ariadnæ, miſeros mimiambos:

Lacrymoſa poemata Puppî.
Horat.

De Æsopo & Puppio *Miltoniano* plura aliquando dicemus.

ŷ 161. Par Grammaticorum] Quibus ſeſe expoliendum limandumque tradidit noſter Puppius.

ŷ 164 Sororis] Quid ſi ita lugeant Ariadnam, quaſi una ex ſororibus Caſtaliis ipſa eſſet, decima nempè Muſa?

ŷ 172 Ranarum reges, Dodonæosque tetrarchas] Alludit poeta ad ligneos reges in fabulâ, quos Jupiter ranis conſtituit, ut qui mitiſſimi eſſent; quos & *Corſis* & aliis gentibus populiſque nuper commendavit feſtivus orator, qui libertatis publicæ & Communis sensus cauſam agit. Nota obiter ranarum reges ex quovis ligno fabricatos fuiſſe, verùm Dodonæos ſolo ex robore natos.

ŷ 173. Delirumque senem, &c.] De senili amore quædam jocularia edidit poeta, & fabulas narravit breviores in uſum ſereniſſimorum regum.

At dictis si facta addunt, si pondera nugis,
Si malè salsæ ipsum lædunt PALLANTA Camœnæ,
Si emptos objiciunt patres, temerataque jura,
Regum divitias, & vectigalia magna,
Contemptos proceres, mercatorumque querelas,
Lege fatigatos cives, miserosque colonos,
Corruptos mores, atque arma in pace timenda;
Raucus adest CAPRIUS: Crimen struit, indicat atrox
Verborum interpres: Firmatur judice FUSCO
Consulto ex re. Novit enim (quippe omnia novit)
Quo casu, quo animo Musæ hæc memorare volebant:
Et voluisse sat est: Satis est voluisse videri.
Jam peragunt sævi PALLANTIS jussa ministri,
Impia plebs, invisa Deis, prolesque gigantum.
Irrumpunt, lacerant, rapiunt famulumque laremque,
Et teneras ausi damnare in vincula Musas,
Et patrios ausi monitores temnere Divos.
Usquè adeóne scelus patitur, nec præscia fati
Bellica gens? An, quæ cecidit (nam credimus omnes)
E cœlo, nulla est SACRÆ reverentia CHARTÆ?
Siccine Palladio, sic advigilatis, inertes
TROJUGENÆ? O, si fortè aliquos pia cura nepotum
Tangat degeneres nusquam, si fama saluſque

℣ 184. CAPRIUS.] Immanis causidicus vel rabula, PALLANTIS servus, & stipendiariorum poetarum, oratorum, & historicorum Quæstor. Ad hoc, Cameræ Stellatæ (the Star Chamber) ex procuratoribus erat unus, & ex omnibus unus, qui regiis negotiis advigilabat: Et ita advigilabat, ut qui in omnes istius ævi scriptores, qui Sycos politicas fumebant, inquireret, probri accusaret, damnaret. Hoc delatoris acerrimi nomen poeta mutuatus est ab Horatio, L. I. Sat. 4.

℣ 185. FUSCO] Ebrioso judice, qui dicta, scripta, leges, senatûs consulta ad voluntatem PALLANTIS interpretari solebat, haud unquam vero in mitiorem partem.

℣ 196. SACRÆ] In codd. quibusdam MAGNÆ. Magis placet τὸ MAGNÆ, & verisimilius videtur ita scriptum fuisse à MILTONE.

Imperii,

Imperii, mentes uno hoc in carmine figant!
CANDIDA LIBERTAS NUNQUAM RESPEXIT INERTES.

HÆC ſat erit —— mea nè culpetur Epiſtola, & aures
Offendat dominas, ſi immani ſcire Latinè
Contigerit CAPRIO, hæc ſat erit monuiſſe Quirites.
Et vafer ille ſenex, rerum regumque peritus,
Sæpè ſuo hæc eadem CAL —— prædixit ab antro.
Sæpè pius Vates, felix imitator Horatî,
Hæc eadem cecinit, cùm tendit Apollinis arcum,
Cùm patriæ, cùm Diis violatis advenit ultor.

ỳ 202. MEA NE CULPETUR EPISTOLA,] At culpata eſt, hodieque culpatur à paraſitis aulicis, ab ardelionibus magnis, & advocatis quibuſdam ex CAPRIORUM gente, qui cùm argumentum & modeſtiam carminis damnare, tùm ignoratæ Latinitatis crimen poetæ noſtro exprobrare audent. Qui verò advocati? Si doctis credas, indoctiſſimi; ſi leguleiis, Latiniſſimi. Nempè enim Latinitatem omnem aſpernantur & reſpuunt præter rhythmicam, & monachicam, & foro ſuo accommodatam.

ỳ 206. CAL—] Ita in MS. noſtro; in cujus autem margine legitur hæc nota incerti auctoris:

" CAL—] Alii legunt *Calchas*, alii " *Calvus*, alii aliud. Quicunque autem " fuit ille CAL—, certè equidem augur " fuit & facetus orator, qui plurima cal- " lidè argutéque dixit, & prædixit; qui " nunquam deſiit de republicâ optimè " mereri, pulchras LIBERTATIS ima- " gines oculis, auribus, animis civium " inculcando.

ỳ 207. PIUS VATES] Eâ tempeſtate floruit doctor DONNE, *Eccleſiæ* S. Pauli Decanus, gravis doctuſque poeta, qui urbis & aulæ vitia multâ cum libertate notavit. Ipſum ſanè doctorem, quantum ſuſpicor, honeſtis hiſce appellationibus MILTO deſignat. Verùm, mi lector, conſule cultum & elegantiſſimum illum poetam, qui *Donnianas* ſatiras Anglicè vertit, quo tandem certior fias de ſententiâ meâ.

FINIS.

FINIS